



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Petri Danielis Huetii Demonstratio Evangelica

Huet, Pierre Daniel

Parisiis, 1679

II. Variae de ejus aetate opiniones proponuntur;

urn:nbn:de:hbz:466:1-16260

accurata sacrorum codicum lectione, & ex frequenti doctorum Judæorum consuetudine Palæstina loca apprime cognoverat.

*Varia de ejus
atque opinio-
nes proponuntur;*

Joseph. Antiq.
libr. 9. cap. 11.

Hier. Theod.
& Theoph.
Proem. in
Nah.

Clem. Alex.
Strom. 1.
deidenostra.

Herod. libr. 1.
subversam.
Joseph. Antiq.
libr. 9. cap. 11.

*Probatum
prophetia*

II. Exploranda deinde Nahumi ætas, quam quidam ad Sardanapali tempora retulerunt, hoc Ninives excidium notatum ab eo esse volentes, quod Arbace auctore contigit, cum ab Assyriis ad Medos imperium translatum est; Joa Judæorum, Jehu Israelitarum regnum tenente. Id si sit, sacrorum omnium Prophetarum, majorum, & minorum, quorum scripta constant, antiquissimus ille fuerit. Probabilis Josepho visum est, ad Joatham tempora Nahumum pertinere, quas autem adversus Ninivitas edidit vaticinationes, post centum & quindecim annos esse completas, Josiæ nempe temporibus. Plures Ezechia regnante floruisse Nahumum censent; Hieronymus, Theodoretus, & Theophylactus, etiam post abductos à Salmanasare in servitutem Israelitas, & Deum tum eos, tum & reliquos Ebræos, qui Ezechia parebant, & variis modis ab iisdem hostibus vexabantur, prædictionis hujus solatio recreare voluisse. Atque idem Hieronymus, primo Nahumi capite prædictam fuisse sentit cladem Sennacheribo, Assyriisque illatam ab Angelo, dum Hierosolymam oppugnarent. Unde colligitur editum esse vaticinium inter duas Assyriorum expeditiones, Salmanasarum adversus tribus decem, Sennacheribi adversus reliquas duas, quarum illa vix novem annis hanc antecessit. At auctor Seder Olam, & ex eo R. Isaac Abrabaniel, Ebraïque fere omnes, cum Michææ, quem sub Joatham, Achazo, & Ezechia floruisse sciebant, succedere Nahumum in Canone viderent, eum, ejusque prædictiones attribuendas duxerunt awo Manassis, qui Ezechia regi successit. Atque has prædictiones exitum habuisse statuunt Joaximo inter Judæos regnante, cum à Nabuchodonosore Ninive diruta est. Jonathan vero, & Pseudonymi Epiphanius & Dorotheus, alique, Ninivitis imminentes calamitates prædixisse rentur, quod Jonæ comminationibus ad meliora jam ante conversi, in pristinas deinde noxas essent revoluti. Quot annis Jona fuerit recentior, accuratius definire insuper habent, quod quidam nonaginta annorum spatio definiunt. Sunt qui Josiæ awo futura prædixisse velint. Omnium vero longissime extra oleas abit Clemens Alexandrinus, Ezechiele ipso recentiore Nahumum fingens.

III. In tanta Interpretum discordia, ad similitudinem veri mihi valde videtur accedere Hieronymi sententia, qui in Ezechia ætatem Nahumi vaticinium confert, inter Israeliticam deportationem, & Hierosolymitanam Rabsacis obsidionem; nam & id postulare videtur ordo quem inter Prophetas minores obtinet, & eo inclinare video maximam eruditiorum Interpretum partem. Verum aliud præterea adjecit Hieronymus accurata observatione dignum: nam inflictam quidem Assyriorum exercitui pro mœnibus Hierosolymitanis cladem, primo Nahumi capite prænuntiari sentit; sed reliqua duo libelli ejusdem capita ad toleratas olim ab Israelitis ærumnas, irrogatasque Judæis ab Assyriis contumelias, & excisam demum à Nabuchodonosore Niniven pertinere arbitratur. Quæ postrema capita duo priusquam explanet, Lectorem monet se Ebræorum expositionibus adhærere. Quamobrem si Ebræos illos, quos secutum se proficit Hieronymus, conciliare velimus aliis ejusdem gentis Magistris, qui sub Manasse editum Nahumi vaticinium rentur, dicemus primum caput temporibus Ezechiaæ prodixisse, post deportatas decem tribus; eventum vero tum esse nactum, cum Sennacheribi copie ab Angelo deletæ sunt, & ipse Sennacheribus Niniven redux, à filiis interfectus est; reliqua vero capita duo multis post annis primum à Nahumo fuisse adjecta, & ita quidem adjecta, ut in unum contextum colligata simul videantur coherere; nimirum quod consimilis essent & ejusdem argumenti, & Assyriorum calamitates prænuntiarent; exitum vero habuisse, partim cum Niniven vastavit Cyaxares Medorum rex, Josiæ temporibus; partim etiam ac præcipue, cum eam Nabuchodonosor aliquot post annis funditus delevit. Idem quippe Hieronymus, Proemio in Jonam, sic diserit: *Quantum ad historias tam Ebræas, quam Græcas pertinet, & maxime Herodotum, legimus Niniven, regnante apud Ebræos Josiæ, & Assyriæ rege Medorum, fuisse subversam.* At cladis hujus auctorem fuisse Cyaxarem tradit Herodotus. Illuc respexit Josephus cum Joatham coætaneum Nahumum statuens, post annos centum & quindecim edita ab ipso adversus Niniven vaticinia, eventu comprobata fuisse refert, in Josiæ quippe ætatem incurret illud tempus, si à Joatham ætate initium feceris numerandi. Itaque Nahumi prædictio adversus Ninivitas, quæ duobus postremis capitibus inest, à Cyaxare & Nabuchodonosore diversis temporibus completa est. Nec refragari videntur conditores prisca Librorum sacrorum Canonis, à quibus Nahumus subjunctus est Michææ, qui Joatham, Achazi, & Ezechiaæ æqualis fuit: in eo quippe desit Michæas, in quo vaticinari exorsus Nahumus ad Manassæm pervenit.

IV. Bene vero est, quod Duodecim Prophetarum memoriam Sirachides retinuit, unde satis probatur antiquitas Nahumi, qui unus ex illis semper habitus est, ut ex